SYNTAXIS ET PROSODIA

versiculis compositæ, studio & labore IOHANNIS GREENWOOD *Cantabrigiensis, olim socij Aulæ Divæ Katherinæ,*

Nunc autem Grammaticæ in Brentwood *scholæ Moderatoris.*

Excudebat Johannes Legate Academiæ Cantabrigiensis Typographus. An. Do. 1590. Septembris 8.

BRITISH MUSEUM

44.
11. 6.
774

IOHANNES PETREVS MILES

CLARISSIMO VIRO D. IOHANNI *Petreo Militi, & patrono literarum dignissimo, Salutem.*

IN more est hominum structos offerre libellos,
OMnibus hisce viris, qui reliquos superant.
HIs inquam reliquos qui iustitia superarunt,
AUxiliove suo, consiliove pio.
NOmine proinde tuo nunc prodeat iste libellus,
NOmine virtutum qui reliquos superas.
ERgo age, doctrinæ vt cæpisti & perge patronus;
SIsq; tuis musis charus, vt es populo.

PEtreus ex Petra robustos robore firmet,
ET robur validis, invalidisq; siet.
TUte igitur lætus progressus perfice lætos,
REstet principijs exitus vt similis.
EXiguus liber hic non pertinet ad tua gesta,
VSui vt esse queat, seu tibi sive tuis.
SEd cui animus magnus non temnit munera parua,

MUnera nec curat respiciens animum. (nignam,
INspice quæso animumq; humilem, mentemq; be-
LIbrum non pendens quàm siet exiguus.
ESt (venerande) vt mens normas momorare legendas,
SIc in te officium commemorare meum.

Laudes nempe tuas non temporis est animiq;,
dicere vel meritas, tangere vel minimas.
Ergò vale, valeatq; vxor, valeant quoq; nati:
& servet semper teq; tuosq; Deus.

Tui observantissimus
Ioh. Greenwood.

Ad Lectorem.

HÆc operis (Lector) sapias gustamina prima,
excusa & curis, sumptibus & propriis.
Est labor ipse meus, tuus est (charissime) fructus,
fructus, si relegas, lecta q; percipias.
Ergò emito, legito, perpendito quæ q; leguntur:
vt penitùs videas fructus an hic aliquis.
Ipse satis fructus mihi me peperisse videbor,
scribere si valeam, quæ tibi proficiant.
Has autem gratè si sumas carmine partes,
quæ desunt partes, carmine & accipies.

Syntaxis.

SYNTAXIS.

Syntaxis licita est quædam connexio vocum,
Iuxta rectam rectæ Grammaticæ rationem.
Recta est Grammaticæ ratio, quam postulat vsus:
Quamq; adhibet, firmat, sequitur, dat turba latina.

Diuisio Syntaxeos.

Syntaxis simplex est, estq; notata figuris.

Simplex Syntaxis.

Syntaxis simplex iusta est constructio vocum,
Quæ sequitur normas communi lege receptas,
Huius partes concordantia sunt, regimenq;.

De Concordantia.

Concordantia quædam est convenientia vocum
Personæ, casu, genere aut certo, numerove.
Est vocum structuris concordantia triplex.
Prima suo cum recto verbi dicitur esse.

Adiectivi cum ſubſtantivo eſto ſecunda.
Eſt cum præcedente relativi tibi terna.

Concordantia prima.

Verbum perſonale cohæret cum ſibi recto,
Semper eâdem perſona, numero quoq; eodem.
Virg. Obſtupui, ſteteruntq, comæ, & vox faucibus hæſit.

Obſervatio prima.

Perſonæ primæ rectus, rectuſq; ſecundæ,
Tertiæ item rectus ſignans hominem, reticetur.
Hor. Condo, & compono, quæ mox depromere poſſim.
Virg. Inſere nunc Melibœe piros, pone ordine vites.
Hor. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Obſervatio ſecunda.

Exprimit emphaſis hanc primã, exprimit atq; ſecundam;
Exprimit has etiam binas diſcretio certa.
Non ego curo tuas improba turba minas.
Ouid. Tu ſeruare potes, tu perdere ſolus amantem.
Hor. Rure ego viventem, tu dicis in vrbe beatum.

Obſeruatio tertia.

Sæpè locum recti tenet aut modus infinitus:
Aut membrum quoddam, quædam aut ſententia tota.
Mentiri ſcelus eſt, eſt principium ſceleriſq;.
Virg. Præcipitant, pulchrumq; mori ſuccurrit in armis.

Ouid.

Ovid. Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Omnis habet ſpeciem recti vox materialis.
Quod valet A noſtris, id valet ALPHA ſuis.

Vim recti teneant aduerbia cum genitivis.
Eſt ſibi conſilij ſatis in ſe, non ſatis auri.

Obſervatio quarta.

Verbum poſt varij numeri rectos tibi ſi ſit,
Verè concordet recto ſibi cum propiori.
Sin verbum interſit rectis, quadrato priori.
Ovid. Omnia pontus erat; deerant quoq; littora ponto.
Idem. Cùm primùm ſubiêre domos, domus antra fuerunt.
Herbarum hîc nihil eſt, ſegetum niſi plurimæ avenę.

Obſervatio quinta.

Nomen collectivum primò plura reſignans,
Vult verbum numeri primi; vult ſiue ſecundi.
Ovid. Pars mihi ſignificat, pars quid velit aure ſuſurrat.
Virg. Pars in fruſta ſecant, verubuſq; trementia figunt.

Obſervatio ſexta.

Cum rectis primi concurrunt verba ſecundi,
Recto perſonæ quæ conveniunt magè dignæ.
Virg. Res dura, & regni novitas me talia cogunt.
Idem. Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis.
Tuq; puerq; tuus.

Cum rectis multis currunt & verba prioris.
Ovid. Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.

Prima magis digna est, quam sit persona secunda;
Dignior estq; secunda omnis quàm tertia quævis.

Concordantia secunda.

Cum substantivo adiectivum ritè cohæret
Casu vt eodem, sic genere & numero quoque eodem.

Adiectivum. Nomen Pronomen.

Ovid. Mollia purpureis frænabas ora capistris.
Idem. Contigerat nostras infamia temporis aures.
Virg. Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Exceptio.

Plurima quæ primi sunt, substantiva requirunt
Adiectivum plurale; at generis mage digni.
Confixi socijs pereunt Hypaniscq; Dymascq;.
Excelsi solijs rex & regina sedebant.

Submonitio.

Mascula fæmineis rectè mage digna videntur.
Fæminea & neutris sunt ipsa magis quoq; digna.
Neutrum at dignius vtroq; est re non animata.

Observatio.

Substantivi vim tenet adiectivum neutrum;
Atq; relativum; nec non oratio tota.

Pectore

Pectore iam firmo facit omnia principe digna.
Quæ bona, quæ mala sunt, prudens decernit apertè.

Iuv. Iam Maria, audito Christum veniſſe, cucurrit.

Adiectivum in neutro genere absolutè positum.

Adiectivum quod cum RES coniungere debes,
Simpliciter neutro poterit quandoq; locari.

Ovid. Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu.

Idem. Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Concordantia tertia.

Omne relativum cum præcedente relato,
Persona, numero, genere & concordat eodem.

Ovid. Spes est quæ capiat, spes est quæ pascat amorem.

Exceptio.

Quæ numeri primi sunt, præcedentia multa
Admittunt numeri referens quandoq; secundi.
Est calor, estq; humor, terris quæ gramina fundunt.

Obseruationes.

Præcedentis vim retinere oratio possit.
Quam si vim teneat, neutro positum referens sit.

Membrũ dat numerum primũ, dant membra ſecũdum.
Verſatur tenebris, quod vera eſt mortis imago.
Tam Veneri indulgent, vino quàm corpora dedunt:
Quæ laxant mentes, quæ ſpoliant animos.

Conveniſſe relativum poteritvè priori
Præcedenti: conveniet vel poſteriori,
Inter ſi duo diuerſi generis poſitum ſit.
Ovid. Nil niſi iam faciẽ, quod non foret arbor, habebat.
Vinclum, quæ eſt animi requies, iam nectit amoris.

Omne relativum, atq; adiectivum ſimul omne
Poſſeſſivi primario reſpondeat omni.
Magnus amor ſuus eſt, vitam qui fundit amore.
Cærule oſq; meos vidiſti flentis ocellos.

Caſus relativi.

Omne relativum rectus verbo ſiet omni,
Alter ſi rectus non verbo apponitur illi.
Hor. Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur, hora.
Ovid. Qui citharam nervis, neruis qui temperat arcum:

Alter ſi rectus ſit verbum inrer, referenſq;:
A verbo referens, alia vel voce regetur,
Quæ vnâ cum verbo membris concurrit eiſdem.
Hor. Fœcundi calices quem non fecere diſertum.
Virg. O fortunati, quorum iam mœnia ſurgunt.

Omne relativum, caſu quocunq; locetur,
Ante quidem verbum ſtructuris ſemper habetur.
Ovid. Tam qui mandabat, quàm cui mãdata dabantur.

Vir. Nam quod consiliũ, aut quæ jam fortuna dabatur?
Idem. Multi prætereà quos fama obscura recondit.

Quas nomen normas, referens has vendicat omnes.
Virg. Nate dea quæ nunc animo sententia surgit.
Idem. Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Hor. Frigus quo, duramq; famem depellere possit.
Virg. In quibus illa pedis niuei vestigia ponet.

De Regimine.

Est regimen vox vna aliam quum rexerit vllam.

Regimen substantivorum.

Cum duo concurrunt substantiva immediatè,
Posterius solito supponitur in genitivo.
Virg. Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Hor. Asperitatis, & invidiæ, corrector & iræ.

Observatio.

Hic genitivus substantivi posterioris,
Vertitur in possessivum, simul atq; dativum.
Ovid. Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Est tibi naturâ, mihi consilijs pater ille.

Exceptio.

Quæ referunt eadem, casu ponuntur eodem.
Virg. Gnate meæ vires, mea magna potentia solus.

Gnate

Gnate nitor cæli, diuini pignus amoris:
Gnate decus vitæ, spesq; salusq; meæ.

ubintel-
as.
droma-
e vxor
ectoris.

Propria si iunges, quæ sunt communia * subdes.
Virg. Hectoris Andromache Pirrhin connubia seruas?

Adiectiuum neutrum vult post se genitiuum.
Ovid. Seuitiæ, flammæq; minùs, minùs addidit iræ.
In superis opis esse nihil, non creditur vlli.

Laus & vituperium rei.

nalepha
adem
tione.

Laus, & vituperium cuiusq; rei reperitur
Nunc ablatiuo; reperitur nunc genetivo.
Virg. Quem sese ore ferens quàm forti pectore & armis.
Ovid. Ingenui vultus puer, ingenuiq; pudoris.

Opus & Vsus.

Poscit opus sextum, poscit simul vsus eundem.
Virg. Nunc animis opus AEnea, nunc pectore firmo.
Arma precor, ferte arma viri, nunc viribus vsus.

Adiectivorum constructio.

Genitivus.

Adiectiva, quibus desiderium siet vllum,
Notitia, atq; memoria, cura, timor quibus aut sit,
Quæ contraria & his sunt, adsciscunt genitivum.

Est

Eſt belli cupidus, pugnax, & fortis in armis.
Ovid. Demiſit vultum ſceleris ſibi conſcia virgo.
Eſto memor noti, veteris memor eſto & amici.
Ouid. Lex eadem penæ, ne ſis ſecura futuri.
Idem. Regnorum immemores, turpiſque cupidine captos.

Quæ verbalia in ax ſunt, nectuntur genitivis.
Virg. Tam ficti pravíq; tenax, quàm nuncia veri.

Partitiva, & quæ partitivè inveniuntur,
Certa interq; rogativa, & numeralia certa,
Adſciſcunt genitivum, à quo genus ipſa requirunt.
Ovid. Et niſi Iunoni, nulli ceſſura dearum.
Qui iuvenum non nunc iuveniliter exigit annos.
Virg. An Phœbi ſoror, an nympharum ſanguinis vna.

Hæc alio ſenſu poſcunt ſibi ſæpe dativum.
Eſt pius AEneas nulli pietate ſecundus.
Et dant accuſativum cum præpoſituris,
Aut ablativum, ſenſu alio atq; alio.
Idem. Primus ibi ante omnes ſumma decurrit ab arce.
Solus de ſuperis deus & videt, & regit aſtra.

Adiectiva Comparationis.

Gradus poſitivus.

SYntaxin poſitivus habet pro ſignificato.
Ouid. Coniuge eram fælix, fælix erat illa marito.

Compa-

Comparativus & superlativus.

Omne gradus nomen num comparat, an superabit,
Partitiuè si fuerit, gaudet genitiuo.
Aptior est manuum dextra ad res quasq; gerendas.
Pallida cunctarum mors est certissima rerum.

Comparativus.

Id quod comparat, & per quam quod soluere possis,
Ablativum iure suo, non vult genitivum.
Virg. Candidior cygnis, hedera formosior alba.
Ovid. Auro deterior, fulvo pretiosior ære.
Additur his sextus, qui excessum significabit.
Ovid. Inferior virtute meas diuertor ad artes.
Hor. Sunt numero plures, virtute, & honore minores.

Interrogatio, & eius responsio.

Tempore, vel casu tu respondebis eodem;
Tempore, vel casu quo quæstio quæq; rogetur.
In qua parte premis (quæso) num corde dolorem?
Cùm mihi corde premo, tum tota mente dolorem.

Exceptio prima.

Si per cuius, cuia, aut cuium quæstio fiat,
Casu non semper tu respondebis eodem.
Hoc cuium pecus est, quod latis pascit in herbis?
Omne patris pecus hoc, quod latis pascit in herbis.

Exceptio

Exceptio secunda.

Si per possessivum respondêre coneris,
Casu, quo quæris, non respondebis eodem.
Crinibus an trahitur Priami sic filia virgo?
Crinibus ah trahitur sic sic Priameia virgo.

Exceptio tertia.

Sintaxi variâ varia est responsio lata.
Men' damnas fraudis tu, criminis an gravioris?
Te damno nec fraude ego, crimine nec graviori.

Structura simili similis responsio fiet.
Vlla mearum audita tibi est, an visa sororum?
Virg. Nulla tuarum audita mihi nec visa sororum.

Adiectiva cum dativis.

Adiectiva regunt recta ratione dativum:
Quêis vel commoda sunt, vel sunt incommoda quævis,
In quibus est par, est vel dispar, sive voluptas:
Et quibus est submissio, sive relatio facta.
Ovid. Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Virg. Par levibus ventis, volucriq; simillima cygno.
Ovi. Non mihi mors gravis est, posituro morte dolores.
Idem. Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.
Virg. Et facilem pecori, & patientem vomeris vnci.

Quæ paria assignant, gaudent etiam genitivis.
Nec matris similes, similes nec patris habentur.

Composita

Composita ex con adiectiva dedêre dativum.
Est cognata viro, si vno sit sanguine nata.
Natus, commodus, atq; incommodus, vtilis, aptus,
Non rarò quartum cum præposito cupierunt.
Ad lachrimas, luctusq; graues, ad prælia natus.

In bilis & verbalia, participalia & in dus,
Passiuè posita, adiunctum petiere dativum.
Ouid. AEstu, quæ media est, non est habitabilis vlli.
Mart. O mihi post nullos Iuli memorande sodales.

Hæc immunis, communis, simul atq; alienus,
In varios variè casus persæpe feruntur.
Ovid. Est immune necis, nullaq; domabile flamma.
Caprificum cunctis immunem cernimus esse.
Ouid. Tum paries domui communis vtriq; remansit.
Et patris, & gnati communis pallida mors est.

Accusativus.

Cum adiectivis mensura excessus reperitur
Accusativo, ablativo, vel genitivo.
Gnomon quinq; pedes longus tres reddidit vmbram.
Fons latus pedibus tribus est, profundus & octo.
Est domus alta pedum sex septem, lata novemq;.

Ablativus.

Adiectiva regunt ablativum, aut genitivum:
In quibus est vel egestas, est vel copia rerum.
Virg. Spectamus vacuam Romanis vatibus ædem.

Ovid.

Ouid. Mentis inops, longaq́; venis confecta ſenecta.
Hor. Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.
Virg. Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?

Nominibus diuerſæ habitudinis adijcietur,
Ablativus præpoſito cum; ſive dativus.
Virg. Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo?
Eſt alius tibi, tam facie, quàm corpore toto.

Adiectiva regunt ablativum quoq; caſum.
Qui cauſamq́; modumq́; rei patefecerit omnem.
Ovid. Clara colore ſuo, brevibus diſtincta ſigillis.
Virg. Spem vultu ſimulat, curis ingentibus æger.
Idem. Troius Aeneas pietate inſignis, & armis.

Dignus, & indignus, contentus, prædituſ, atq;
Extorris, captus, ſextum dant, aut genitivum.
Virg. Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Hor. Litterulis græcis imbutus, idoneus arti.
Atq; oculis capti fodêre cubilia talpæ. (avorum.
Vir. Deſcendam magnorum haud quaquam indignus

Adiectiva alia adſciſcunt alios quoq; caſus
Normis non vllis vſquàm conſcripta latinis.
Curarum fælix curas qui ſupprimit omnes.
Dixit & ô ſemper fælicem coniuge matrem.

Pronominum conſtructio.

Syntaxin, quam nomen habet, pronomen habebit.

Obſervatio prima.

Ritè meiq;, tuiq;, ſui, noſtri, quoq; veſtri.
Ponuntur genitivi; paſſio cùm referatur.
Virg. Quid furis, aut quonàm noſtri tibi cura receſſit?
Idem. Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Horum poſſeſſiva legas, poſſeſſio cùm ſit:
Actio ſive rei cuiuſvis ſignificetur.
Ovid. Sors tua mortalis, non eſt mortale quod optas.

Obſervatio ſecunda.

Sæpè meuſq;, tuuſq;, ſuus, noſter, quoq; veſter,
Quoſdam poſt ſeſe ornatu capiunt genitivos.
Anne ſua ipſius tenuit præcepta magiſter?
Eſt ſtudio cuiuſq; ſuo vigilantior omnis.

Obſervatio tertia.

Perſonas tres IPSE tenet: tres & tenet IDEM.
Virg. Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.
Idem. Cùm faciam vitula, pro frugibus ipſe venito.
Ovid. Ipſe negat nocuiſſe tibi ſua tela Cupido.
Idem conſector pacem, qui prælia geſſi.
Qui placidis ventis, idem complecteris vmbra.
Virg. Rex Avius, rex idem hominum, Phæbiq; ſacerdos.

Obſervatio quarta.

Sola, ſuiq;, ſuus, poſuêre reciproca docti.

Iudex ipse fui totum se explorat ad vnguem.
Errori natura suo malè suada pepercit.

Observatio quinta.

Personã HIC certam, quæ sit mihi proxima monstrat.
Propinquam tibi, nonq; aliam, rectè indicat ISTE.
ILLE refert aliam quasi longè ab vtroq; remotam.
Ovid. Isti Laertes pater est; Arcesius illi.
Iupiter huic; neq; in his quisquam damnatus, & exul.

Observatio sexta.

ILLE quidem laudat; contemnit & ISTE vicissim.
Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchysæ
Alma Venus genuit Simoentis ad vndam?
Pellite longè istum, vanumq; fugate Sinonem.

Observatio septima.

Indicat HIC propiùs: sicut ILLE remotiùs infert.
Ovid. Quid faciat, repetatne domum, & regalia tecta?
Ovid. An lateat sylvis? timor hoc, pudor impedit illud.

Rariùs HIC prius, ILLE aut posteriùs recitabit.
Ovid. Vt lepus, atq; canis, cupit hic prædam, ille salutem.
Sic Deus, & virgo est: hic spe celer, illa timore.

Verba Substantiva.

Nominativus post verbum.

Fio, existo, foreu, sum, substantiva requirunt

Casum vtrinq; vnum, præ, post se semper habendum.
Est ornamentum rebus doctrina secundis.

Casum connectunt similem passiva vocandi.
Ducuntur tibi res gestæ, nomenq; decusq;.
Ouid. Serpentem spectas? & tu spectabere serpens.

Casum præ, postq;, vnum gestus verba reposcunt.
Ouid. Et Iuno incedit regina, hominumq;, Deûmq;.

Genitivus post verbum.

Sum genitivum vult, si signet proprietatem,
Officium vè, aut si possessio significetur.
Est iuvenis tam facta senum, quàm dicta tenere.
Virg. Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Ovid. Iuris erit vestri; pro munere poscimus vsum.

Sum possessivis rectum vult; non genitivum.
Virg. Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Verba æstimandi.

Verba æstimandi certis gaudent genitivis.
Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis.

Aestimo nunc ablativum, nunc vult genitivum.
Magno virtutem, magno simul æstimat aurum.
Non tanti mundum, quanti iure æstimo Christum.

Huius, flocci, nauci, vel nihili, pili, & assis.
Non nisi cum verbis facio, æstimo, pendo, leguntur.

Non

Non illum flocci facio, qui me æstimat assis.

Verba accusandi, damnandi, siue monendi, &
Absolvendi, criminis adscifcunt genitivum.
Hic sceleris, furtiq; suo se prodidit ore.
Ovid. Parce tuum vatem sceleris damnare Cupido.
Te fraudisq;, doliq; monet; non sanguine gaudet.

Nomen criminis ablativo his iungito verbis,
Seu cum præpositura, seu sine præpositura.
Crimine, quo fratrem, tu te damnabis eodem.
Peccato absoluit Christus, liberatq; fideles.

Satago, Misereor, Miserescо.

Hæc satago, miserescо, misertus, dant genitivum.
Quæ sua sunt curant; rerum sataguntq; suarum.
Ovid. Supplicis Arcadij (quæso) miserescite regis.
Nostrorum ô (quæso) clemens miserere laborum.

Admittunt miserescо, misertus, sæpe dativum.
Boet. Dilige iure bonos, & miserescе malis.
Sic seruis Deus, vt mater liberis, miseretur.

Reminiscor, obliviscor.

Verba recordandi, obliuiscendi, meminiq;
Accusativo iunguntur, vel genitivo.
Virg. Quisquis es amissos hinc iam obliuiscere Graios.
Idem. ---- forsan & hæc olim meminisse iuvabit.
Quas toties fugi, nimium reminiscor aquarum.

Rerum, quas gessit, nimis est oblitus earum.
Et potes authoris non meminisse tui?

Aut ablativum POTIOR vult, aut genitivum.
Virg. Egressi optata Troes potiuntur arena.
Plaut. Romani signorum, & armorum potiti sunt.

Accusativo, POTIOR quandoq; potitur.
Teren. Vt veritas patefacta est, ducit Aeschinus vitiatam, potitur Ctesipho citharistriam.

DATIVVS POST VERBVM.

Verba acquisitivè posita.

Acquisitivè posita optant verba dativum:
Illiusce rei, cui res acquiritur vlla.
Virg. Incipe parue puer, cui non risere parentes.
Idem. Hæc eadem matriq; tuæ, generiq; manebunt.
Idem. Pinguis & ingratæ premeretur caseus vrbi?

Huc varij generis spectant quàm plurima verba;
Poscunt, quæ vel commoda, quævè incómoda signant,
Verba dativum: accusativum at plurima poscunt.
Virg. Nobis vere novo respondent omnia sylvæ.
Ovid. Sæpè sibi atq; aliis garrula lingua nocet.
Virg. Nunc ô lecta manus validis incumbite remis.
Idem. Non omnes arbusta iuvant, humilesq; myricæ.
Ad patris atq; tuam poterit conducere laudem.

Verba comparandi.

Componendi verba regunt quandoq; dativum.

Virg.---sic parvis componere magna solebam.

Componendi verbis ablativus adhæret,
Atq; accusativus, præposito præeunte.
Virgilium dulcem cum docto confer Homero.
Ad pinguem terram liberalem comparat artem.

Verba dandi & reddendi.

Verba & dandi, & reddendi petiêre dativum;
Virg. Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.
Ouid. Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti.
Virg. Reddite me Danais, sinite instaurata revisam.

Verba promittendi, ac solvendi.

Dant promittendi, ac solvendi verba dativum.
Ovid. Spem mihi, nescio quam, vultu promittis amico.
Ille fidem solvit, quia non mihi debita solvit.

Verba imperandi, & nuntiandi.

Verba iubendi & narrandi petiêre dativum.
Ovid. Imperat heu ventis, tumidæ non imperat iræ.
Virg. Maturate fugam, regiq; hæc dicite vestro.

Verba fidendi.

Omnia fidendi gaudebunt verba dativis.
Virg. O formose puer nimium ne crede colori.

Verba obsequendi, & repugnandi.

Verba parendi, obsistendiq; dedêre dativum:
Quorum nonnullis coniunges præposituram.
Omnibus in rebus domino seruire memento.
Ovid. Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.
Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
Virg. --- Tu dic mecum quo pignore certes.

Verba minandi, irascendi coniunge dativis.
Ouid. Multa mihi terræ, multa minantur aquæ.
Ille inimicis succenset, succenset amicis.

Verba composita.

Verba dativum adsciscunt, quę his compôsta leguntur
Præpositivis: præ, ad, con, sub, post, ante, ob, in, inter.
Hor. Nullus in orbe sinus Baijs prælucet amænis.
Virg. Nec dum illis labra admovi, sed condita seruo.
Cato. Nulli conveniet, qui secum dissidet ipse.
Virg. Et succus pecori, & lac subducitur agnis,
Hor. Miraris, cùm tu argento post omnia ponas,
Virg. Quæ quibus anteferam? virtutin' præfero vitam?
Virg. Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.
Idem. Eripe nate fugam, finemq; impone labori.
Magna mihi tecum interceßit cura salutis.

His compôsta tamen poscunt alium sibi casum.
Virg. Cùm sic vnanimem alloquitur malè sana sororẽ.
Idem. Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.

Quæ ex benè, ſeu malè, ſiue ſatis compôſta leguntur,
Verba regunt recto moderamine cuncta dativum.
Eſt planè ingratus, qui non benefecit amicis.
Iuv. Impius haud dormit, niſi cum malefecerit vlli.
Ille ſatisfaciet menti, ſimul atq; ſaluti.

Poſtulat EST pro habeo, ternum: quem ſuppetit optat.
Virg. Eſt mihi namq; domi pater, eſt iniuſta noverca.
Hor. Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit vſus.

Sum cum compoſitis adſciſcunt ſæpè dativum.
Virg. Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſq; magiſtro.
Idem. Non liquidi gregibus fontes, non gramina deſunt.
Ovid. Non proſunt domino, quę proſunt omnibus artes.

Sum cum alijs multis geminum cupiêre dativum.
Virg. Vitis vt arboribus decori eſt, ſic vitibus vuæ.
Ars tua nec laudi tibi, nec tibi detur honori.

His inſterno, aſpergo, impertio, conſulo, dono,
Sic timeo, moderor, refero, do, tempero, mitto.
Cum paucis alijs ſyntaxin des variandam.
Quæq; etiam variant regimen cum ſignificato.
Inſtravit equo penulam, inſtravit equum penula.
Aſperſit mihi labem, aſperſit me labe.
Impertit tibi ſalutem, impertit te ſalute.
Dono tibi hoc munus, dono te hoc munere.
Conſulo te, conſulo tibi, iſtuc in te conſulo.
Conſulo ſaluti, conſulo de ſalute.
Aequi boniq; conſulo, illud conſulo
Timeo tibi vel de te; timeo te vel àre.

Tempero, moderor tibi & te: refero tibi & ad te.
Mitto vel do tibi, & ad te literas.

Sæpè dativus ad ornatum ornatè invenietur.
Ovid. Et tibi Thyrsis erat gemmis ornatus & auro.

Verba transitiva.

Accusativus.

Admittunt accusativum singula verba:
Quorum transitus in quodcunq; aliud fiet vllus.
Virg. Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Idem. Nec dulces natos Veneris, nec præmia noris.
Ouid. Sæpè bibi succos, quàm vis invitus amaros.

Intransitiva.

Verba quibus non est ex sese transitus vllus,
Aut ablativum cognati significatus,
Aut accusativum eiusdem, sæpè requirunt.
Hac tu progrediere via, qui tendis in vrbem.
Nestoream fælix vitam per sæcula viues.

Multa figuratè accusativum voluerunt:
In quibus est verbis non vnquam transitus vllus.
Hor. Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.
Ouid. Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt.

Verba rogandi, docendi, &c.

Verba rogo, doceo, moneo; sic vestio, celo,
Et quæ verba genunt istorum significatum,

Accusativum

Accuſativum poſcunt ritu geminatum.
Poſce deum veniam, veniam qui credis habendam.
Et pueros mores, artes docet & liberales.
Triſtem ſe gladium, crepitantiaq; induit arma.

Hæc aliquando alium gaudent ſibi ſumere caſum.
Virg. Ipſum obteſtemur, veniamq; oremus ab ipſo.

Veſtio, pro quarto ternum vult, vult quoq; ſextum.
Ovid. Sic ſibi mortales, Tyrinthius exuit artus.
Virg. Triſtis hyems montes niveo velamine veſtit.

Ablativus poſt verbum.

Quodvis verbum ablativum vult ſignificantem
Inſtrumentum, ſiue acti cauſamvè, modumvè.
Virg. Hi iaculis, illi certant defendere ſaxis.
Hor. Fervet avaritia, miſeraq; cupidine pectus.
Ovid. Ardet mente, furit ſtridoribus, intonat ore.

Cauſa, moduſq; acti gaudent & præpoſituris.
Virg. Præ dulci Aſchanio pater Italiam petit ipſam.
Idem. Tempora cum blandis abſumpſit inania verbis.

Quæ pretium cuiuſq; rei, ſignantvè valorem,
Cum pretij verbis ablativo locitantur.
Octl. Vnus, & exiguus panis venundatur auro.
Non patriam vendes auro, non ſanguine fuſo.

Hæc vili, paulo, minimo, magno, nimioq;,
Dimidio, duplo, ſine ſubſtantivo adhibentur.

Parvo

Paruo vendidit has, magno quas emerit artes.

Hos fine fixis excipies pretij genitivos.
Tanti, quanti, pluris, tantidem, atq; minoris,
Tantivis, & tantilibet, quanti quoq; cunq;.
Non tanti argentum, quanti mihi prævalet aurum.
Ouid. Vix Priamus tanti, totaq; Troia fuit.
Non vendo pluris quàm alij, fortasse minoris.

Quæ sunt verba abundandi, implendi atq; onerandi,
Et quæ aliquo sunt his sensu contraria verbis,
Nunc ablativo, nunc gaudent & genitivo.
Ouid. Igne vacet semper, caligine semper abundet.
Qui solem radijs, lunam qui cornibus imples.
Virg. Et dapibus mensas onerant, & pocula ponunt.
Idem. Implentur veteris Bacchi, pinguisq; ferinæ.

Vtor, fungor, muto, fruor, communico, lætor,
Gaudeo, munero, prosequor, afficio, potiorq;,
Vescor, & hæc impertior, atq; impertio, dignor,
Cuncta volunt ablativum sibi iungere casum.
Ovid. Parce puer stimulis, & fortiùs vtere loris.
Fungitur officio, quo fuit ante, suo.
Hor. Nonnè vt porticibus, sic iudiciis fruar iisdem?
Virg. Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Idem. Gaudet equuo, iamq; hos cursu, iam præterit illos.

Vult mereor DE præpositum, si adverbia iungas.
Heu de te benè quid merui? benè quid potuivè?

Quævis

Quæuis accipiendi, distandi, eripiendi
Verba regunt ablativum cum præposituris.
Cuius & ipsa loco statuunt quandoq; dativum.
Ovid. Stagna tamen timeat, ne carpat ab arbore flores.
Et vultu, & lingua, quantùm distabat ab illo?
Ovid. Meq; ministerio sceleriq; artiq; remoui.
Idem. Haud impunè feres, adimam tibi namq; figuram.

Verbis, quæ excessum signant, coniungito sextum;
Veram qui excessus mensuram significabit.
Cat. Ingenio pollet, cui vim natura negauit.

Ablativus absolutè sumptus.

Additur ablativus simpliciter sibi sumptus
Omnimodis verbis, coniuncto participante.
Hor. Invidiam placare paras, virtute relicta?
Idem. Tu nihil invita facies, dicesvè Minerva.

Iste resolvitur ablativus vocibus istis,
Dum, cum, quando, si, quanquam, postquam, recitatis.
Auro amisso: hoc est: si verè amittitur aurum.

Verba adsciscunt ablativum, vel genitivum,
Corporis in quibus est quævis, vel passio mentis.
Addidit his accusativum sæpe poeta.
Aegrotus magis est animo, quàm corpore toto.
Nunc animi pendet, nunc mentis desipiebat.
Hic candet dentes, simul ac rubet ille capillos.

Passiva,& passiuè significantia verba,
Admittunt ablativum cum præpositura:
Siue dativum, si sint casus semper agentis.
Ovid. Arcane non magno sæpè tenetur aper.
Exulat à cunctis virtus: scelus omne virescit.
Virg. Iusta viris, & non occulta, petuntur honestis.
Idem. Vulnus alit venis,& cæco carpitur igni.

Passiva inde regunt casum, vnde est significatus.
Damnatur furti, priuatur munere vitæ.

Diuersi casus, at diuersa ratione,
Nonnunquam VERBO verè apponentur eidem.
Numum nocte dolo capit iste manu,ense recluso.

Par syntaxis erit, si par sit significatum.
Virg. Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.
Idem. Pollio amat nostram quamuis sit rustica musam.
Dispar syntaxis, dispar si significatum.
In dubiis multos te consuluisse iuvabit,
Si rebus cures consuluisse tuis.

Delectum in verbis prudens seruare memento.
Vt dare verba tibi, non tradere dicimus vlli.

De infinito.

Cum duo verba simul sine recto intervenient
Concurrant, infinito tum posterius sit.
Ovid. Nec finire licet tantos mihi morte dolores.
Idem. Dicere quæ puduit, scribere iussit amor.

Infinita

Infinita figuratè ſumenda leguntur.
Virg. Hinc mihi prima mali labes, hinc ſemper Vliſſes
Criminibus terrere nouis, hinc ſpargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conſcius arma.

Vnâ cum adiectivis infinita leguntur.
Vir. Et cantare pares, & reſpondere parati.

Infinita accuſativum fronte requirunt.
Vtraq; ſi poſſint per *vt*, & *quod*, ritè reſolui.
Ovid. Iuſſit & extendi campos, ſubſidere valles;
Fronde tegi ſyluas; lapidoſos ſurgere montes.

Proq; gerundijs in di, hæc infinita locantur.
Inq; ſupini ſæpè loco ſunt ipſa prioris.
Vir. Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?
Idem. Vndiq; conuenêre animis, opibuſq; parati
In quaſcunq; velim pelago deducere terras.

De Gerundijs.

Ipſa gerundia nomen habent à ſæpè gerendo,
Tam ſyntaxin, quàm verborum ſignificatum.
Verborum adſciſcunt ſibi quæq; gerundia caſum.
Actiuè, non paſſiuè ſi ſumpta legantur.
Ovid. Vtendum eſt ætate: cito pede præterit ætas.

Gerundia in di.

A ſubſtantiuis, adiectiuis quoq; multis.
Ritu dependent nonnulla gerundia in di.

Virg.

Virg. Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?
Idem. Aeneas celsa in puppi iam certus eundi.

Adde gerundiis in di pluralem genitivum.
Teren. Date crescendi copiam novarum.

Gerundia in do.

Aut sine præposito poluêre gerundia in do;
Aut cum a, ab, abs, de, e, ex, cum, in, pro posuerunt.
Virg. Quid si idem certet Phœbum superare canendo.
In dando & celebris fama est, & gloria magna.

Gerundia in dum.

Sæpius apponuntur quæq; gerundia in dum.
Istis præposituris: ante, ob, propter, ad, inter.
Inter cænandum sermo malus omnis abesset.
Hor. Ad benè dicendum, delectandumq; redacti.

Si signetur oportet, pone gerundia in dum,
Cum verbo est posito; cum quolibet atq; datiuo.
Iuv. Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.
Est tibi res nullas sub iniqua lege rogandum.

Inq; gerundiva immutare gerundia possis.
Virg. Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Idem. Texendæ sepes tibi sunt, pecus omne tenendum.

Di patrio: do sexto: dum quarto assimulatur.

De

De supinis.

Admittit verbi casum prius omne supinum.
Virg. Aspiciam, aut Graijs seruitum matribus ibo?
Idem. Suspensi mittunt scitatum oracula Phœbi.

Actiuis prius activum vult significatum.
Virg. Venatum Æneas vnaq; miserrima Dido
------in nemus ire parant------

Passivè prius omne supinum significabit
Cum IRI: siq; à neutro passiuis oriatur.
Teren. Postquam audierat non datum iri vxorem filio.
Et puras vænum merces proponere curant.

Verbum, & participans sequitur prius omne supinum,
Ad quemcunq; locum quemuis signantia motum.
Ovid. Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.

Excepto.

Ponitur infinitus raptim more supini
Post verba ad quemcunq; locum signantia motum.
Multa statos huc turba ruunt iam visere ludos.

Simpliciterq; supinum, cum verbo est, prius hæret.
Hor. Vt ventum ad cænã est dicenda, tacenda loquutus.

De posteriore supino.

Post se posterius vult nullum admittere casum.
Virg. Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.

Posterius semper passiuè significabit.
Virg. Cum subitum, dictuq; oritur mirabile monstrum.
Posterius sequitur multa adiectiua supinum.
Virg. Neq; visu facilis, neq; dictu affabilis vlli.

De impersonalibus.

Nullos fronte locant impersonalia rectos.
Ovid. Actorum sine fine piget, sine honore laborum.

Personalis formam impersonale resumit.
Ovid. Ista decent lætos fœlicia signa poetas.

Genitivus.

Refert, est, interq; est, adsciscunt genitivum.
Prudentis refert propriam curare salutem.
Coniugis est castæ famam corpusq; tueri.
Intererit regis populum ditione tenere.

Refert, inter & est, impersonalia curant
Hos sibi fœmineos cuiâ coniungere casus,
Atq; meâq;, tuâq;, suâ, nostrâ, quoq; vestrâ.

Dativus.

Gaudent hæc impersonalia cuncta dativis:
Certum est, constat, confert, competit, accidit, atq;
Contingit, conducit, conuenit, euenit, obsit,
Prodest, præstat, displicet, & placet, expedit, & fit,

Cum

Cum benefit, malefit, supereſt, simul atq; satisfit.
Sufficit, & vacat, adde libet, licet, atq; nocet, stat,
Restat, sic patet, ac liquet; his coniunge doletq;.
Hor. Non cuiuis homini contingit adire Corynthum.
Virg. Cui liceat soli superorum tangere mensas.
Ovid. Non vacat exiguis rebus adesse Ioui.

Accusativo hæc impersonalia gaudent;
Delectat, decet, atq; iuvat, quibus addito oportet.
Ipsius præcepta decet seruare magistrum.
Ad legis normam studiosos viuere oportet.

Pœnitet, & miseret, tædet, piget, & pudet optant
Accusativum patientis cum genitivo.
Dicere non satis est, culpæ me pœnitet omnis.
Erroris magni tædetq; pudetq; poetam.

Spectat, pertinet, attinet, A D proprie sibi iungunt.
Non vnam tantùm, sed partem spectat ad omnem.
Pertinet ad iustos iustorum vivere vitam.
Attinet ad medicum morbi cognoscere causam.

De tempore.

Quæ partem signant aliquam tibi temporis vnam,
Verè ablativo ponuntur singula casu.
Mant. Splendidulis iam nocte volant lamperydes alis.
Hor. Supremo te sole domi Torquate manebo.

Quæ totum tempus dubio sine significabunt,

Verùs accusatiuo locitare solemus.
Virg. Noctes atq; dies patet atri ianua ditis.
Idem. Hic tamen hanc mecum poteris requiescere nocte.

Seu totum tempus, seu partem temporis vnam
Nomina signent; nunc ablativo inueniuntur;
Nunc acculatiuo etiam, discrimine nullo.
Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè.
Annos hic vitam multos traduxit iniquam.

Tempora quæ signant, pariuntur præpositura.
Ovid. Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus.
Virg. Vrbs antiqua fuit multos dominata per annos.
Idem. Pauper in arma pater primis mea miserat ab annis.

DE LOCO.

Spacium loci.

Sæpè loci spacium ablativo ponere gaudent;
Sæpè accusativo eius spacium posuerunt.
Distat ab vrbe domus, sex septem, & millibus octo.
Virg. Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli spacium non amplius vlnas.

Appellativa locorum, & maiorum propria.

Appellativa, & regionum propria quædam,
Certo sunt casu cum præpositis adhibenda.

Ovid. Mulciber in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo.
Idem. Meſciat in media viuere Barbaria.

Minorum propria locorum,
in loco, apud locum.

Cum verbis patrio ſunt propria quæq; locorum
In loco apud ve locum, ſi ſignent verbula motum,
Si primi fuerint flexus, fuerintve ſecundi;
Et numeri tantùm primi, minimèq; ſecundi.
Hor. Romæ nutriri mihi contigit, atq; doceri.
Londini mercès generis ſunt omnis habendæ.

Sin terni fuerint flexus, numeriue ſecundi,
Multa ablatiuis ponuntur, multa datiuis.
Hor. Romæ, Tybur amo ventoſus, Tybure Romam.
Hor. Intererit multum Thebis nutritus, an Argis.
Virg. Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.

Militiæ, belli, ponuntur humiq;, domiq;
In genitiuis, ſed propriorum more locorum.
Ocland. Ornauit ſemper belliq; domiq; vigentes.

Ad locum.

Quarto cum verbis ſunt propria quæq; locorum,
Ad quemcunq; locum ſi motum verba reſignent.
Virg. Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſq; reuiſit:
Et dixere reuerſuros ſele eſſe Mycenas.

A loco vel per locum.

Omne loci proprium ablatiuo iungito verbis,
Quæ motum àve loco, per quemúe locum resonabunt.
Vir. Sed fatis incerta feror, si Iupiter vnam.
Esse velit Tyrijs vrbem, Troiâq; profectis.
Oxoniâ nunc sunt Londinum versus euntes.

Accusativo, aut ablativo DOMVS & RVS
Versantur casu, propriorum more locorum. (dibat.
Virg. Non vnquam grauis ære domum mihi dextra re-
Rus abijt, recreet sese, cras vire redibit.

Participium.

Cuncta regunt verborum participantia casum.
Virg. Virginis os, habitumq; gerens, & virginis arma.
Idem. Et filicem curuis inuisam pascit aratris.

Dativus.

Participans in dus gaudebit sæpè dativis.
Ovid. Cesserunt nitidis habitandæ piscibus vndæ.

Genitivus.

Participans, nomen si fiat, vult genitivum.
Virg. Quàm diues niuei pecoris, quàm lactis abundans?
Ovid. Non illo melior quisquam, nec amantior æqui.

Participan-

Participantia quinq; modis in nomina mutes.
Nam regimen, tempus, collatio, compositumq;
Participans nomen faciunt, vel significatus.

Id est.

Si constructio verbi deficiat sibi certa;
Si discrimen temporis omittatur habendi;
Si vera adiectivorum collatio fiat;
Si tibi compositum fingas à verbo alienum;
Si verbi dissentit significatio recta;
Participantia tum cognata in nomina mutes.
Activè posita exosus poscuntq; perosus
Accusativum; passivè sæpè dativum.
Exosus sanctos, sanctis exosus abibit.

Activè positum pertæsus postulat vnum
Aut accusativum, postulat aut genitivum.
Pertæsus fraudis, famam pertæsus iniquam.

Natus, prognatus, satus, editus atq; creatus,
Cretus & ortus in ablativum rite feruntur.
Virg. Nate dea quæ nunc animo sententia surgit?
Ovid. Orta domo parua, paruis habitabat Hypæpis.

Adverbij constructio.

Omnibus omnia coniunges aduerbia verbis.
Demonstrandi, EN, ECCE volunt adverbia rectum.

Accusativum sic ipsa voluit sibi iunctum.
Virg. En Priamus, sunt hîc etiam sua præmia laudi.
Idem. Ecce duo tibi Daphni, duoq; altaria Phœbo.

Exprobrandi EN, ECCE petunt aduerbia quartum.
En animum, & mentem sæui cuiusq; tyranni.

Temporis atq; loci, mensuræ aduerbia quæris,
Iunctos more suo genitivos sæpè requirunt.
Inter se reges tunc temporis arma gerebant.
Nusquam terrarum fuit ille, loci quoq; nusquam.
Plus tibi laudis erat, plus famæ, plus pietatis.

Vult genitivum instar, vult AD sibi iungere & instar.
Virg. Argolici clipei, aut Phœbeæ lampadis instar.
Vallis ad instar castrorum iam clauditur omnis.

Vnde oriuntur, multa dativum aduerbia poscunt.
Hor. Viue sensatæ nos conuenienter oportet.

Quartum dant aduerbia præpositi, vnde profecta.
Quàm fuerant, vrbem propiùs iam castra mouentur.

Cuiuscunq; gradus fuerint aduerbia quæq;,
Illiuscè gradus poscunt aduerbia casum.
Hor. Qui quid sit pulchrũ, quid turpe, quid vtile, quid nõ,
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.
Virg. Sic ait; & dicto citius tumida æquora placat.

Cum quibus iſta modis aduerbia iungere cures
Exemplo, non præceptis, nouiſſe memento.

Coniunctio.

Conſimiles caſus coniunctio nectere novit,
Si non obſiſtat varij conſtructio caſus.
Virg. Sternit agros, ſternit ſata læta, boumq; labores.
Hor. Prodigus, & ſtultus donat, quæ ſpernit, & odit.
Queis, niſi doctiloquis, perſcripſit carmina verbis.

Tempora, ſiue modos ſimiles coniunctio nectit.
Virg. Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri. (chro.
Item. Aut mihi redde meos, aut me quoq; conde ſepul-

Sæpè modos varios, caſus, vel tempora iungit.
Cum viſum fuerit, cum grata ſuperuenit hora.
Virg. At det amans Dido, traxitq; per oſſa furorem.
Omne meum pecus hoc, hominis non eſt & aliſus.

Submonitio.

Hæc quibus ipſa modis, ſemper coniunctio ſeruit,
Cautos admoneo, præceptis non onerabo.

Præpoſitionum conſtructio.

Induit illius nomen ſibi præpoſitura,
Quòd præponitur his, queis cum coniungier optet.

Præpoſi-

Præpoſitura aut quartum, aut ſextum, aut poſcit vtrunq;.

Accuſatiuo gaudent hinc inde ſequentes.

Virg. Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt quod pocula laudes.

Iuv. At bene apud memores veteris ſtat gratia facti.

Idem. Ante virum ſanguis, ſpiritus ante deum.

Cat. Adverſus notum noli contendere quicquam.

Hor. Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Ideon. Quos vltra, citraq; nequit conſiſtere rectum.

Virg. Errabant acti fatis maria omnia circum.

Cat. Contra verboſos noli contendere verbis.

Cis Tybrim fluvium multa eſt pinguiſſima terra.

Erga inimicum ſis fidei memor, erga & amicum.

Hor. Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Inter ſpem, curamq;; timores inter, & iras.

Oct. Noctu infra ſpacium plùs vel minùs octo dierum.

Et iuxta tumulum ſtabat pulcherrima laurus.

Virg. Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.

Ponè deum, poſcit patria prima locum.

Hor. Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Cœna brevis iuvat, & prope tivum ſomnus in vmbra.

Virg. Propter aquæ rivum viridi procumbit in herba.

Hor. Corripitur vitium, virtutis iura ſecundum.

Idem. Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas.

Idem. Cœlũ non animũ mutant, qui trans mare currunt.

Ovid. Præter vtrunq; latus, præterq; & lumen, & aures.

Virg. Tum mihi cæruleus ſupra caput aſtitit imber.

Oct. Occiſi bello ſunt millia circiter octo.

Vt tradant porro Cæsaris vsq; genus.
Flumina concrescunt salices secus humida aquarũ.
Romam versus eunt, alienos discere mores.
Ovid. Me penes est vnum, vasti custodia mundi.

Ablativo hærent subiunctæ præposituræ.
Virg. Prosequitur surgens à puppi ventus euntes.
Historiam prima repetens ab origine pandam.
Abs quibus appendet tua fama, & gloria verbis.
Ab vult vocales; abs q t: consona vult a.
Hor. Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.
His suberat gelidis manans è fontibus vnda.
Seu bona, seu mala sit, noscesex fructibus, arbor.
Virg. Mecum vna in sylvis imitabere Pana canendo.
Clam patre, clam nobis, clam matre est filia rapta.

Clam tamen accusativo iunctum reperitur.
Clam dominum cautè furantur nocte latrones.
Humana pro gente pius succubuit agnus.
Præ nimio mentis titubauit lingua timore.
Ovid. Morte palam, simul est Vulcanum imitata per orbem.
Vir. Fœlices obeunt, quorum sine crimine vita est.
Absq; labore gravi non possunt magna lucrari.
Pectoribus tenus, ore tenus, cruram tenus aiunt.
Hor. Est quodam prodire tenus, si non datur vltra.
Est procul (ô cives) procul est virtus sceleratis.

Hæc vtrunq; regunt casum, subter, super, in, sub.

Virg.

Virg. Ferre libet denſa ſubter teſtudine caſus
Fluminaq́; antiquos ſubter labentia muros.
Virg. Nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem.
Oclan. Numinis at cultum ſuper omnia ſemper amabat.
Ovid. Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.
Idem. In villos abeunt veſtes, in crura lacerti.
Virg. Nate dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnum?
Idem. Sub noctem grauidæq́; domum rediere capellæ.

Aut apponitur, aut componitur, aut reticetur
Præpoſitura omnis, quæ ſit ſermone legenda.
Quæq́; ſuum appoſito vult caſum præpoſitura.
Virg. Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ,
Idem. De grege non auſim quicquam deponere tectum.
Compoſito caſumq́; ſuum det præpoſitura.
Quamuis multa meis exiret victima ſeptis.
Compoſito appoſitoq́; ſimul ſit præpoſitura.
Virg. Et ſeſe injecit medium moriturus in agmen.

Compoſito appoſitoq́; deeſt & præpoſitura.
Præpoſiti caſus tamen imponetur habendus.
Virg. Pars Scythiã, & rapidum Cretę veniemus Oaxem.
——Quandam ſæpè ſiles, non effers præpoſituram.
Virg. Fertur equis, rapidoq́; volans obit omnia curru.
Caſu amiſſo, præpoſiturę aduerbia fiunt.
Virg. Ponè ſubit coniux, ferimur per opaca locorum.

Interiectio.

Sæpiùs adſciſcit nullum interiectio caſum.

Virg.

Virg. Spem gregis ah ſilice in nudo connixa reliquit.

O, primum, quartum, quintum vult poſcere caſum.
Virg. O fœlix vna ante alias Priameia virgo.
Idem. O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint.
O patriæ prælate meæ, prælate parenti.

HEV, ET PROH, nunc cum accuſatiuis referuntur,
Nunc cum rectis, ſiue vocatiuis recitantur.
Heu pietas, heu priſca fides: heu ſtirpem inuiſam.
Proh deûm atq; hominũ fidem: proh ſancte Iupiter.

HEI, ET VAE proprie debes aptare dativo.
Ovid. Hei mihi quod nullis amor eſt medicabilis herbis.
Ter. Væ mihi miſero, quanta de ſpe decidi!
Sic varium poſcit varia interiectio caſum.

DE SYNTAXI FIGVRATA.

Syntaxis diſtincta figuris eſt noua quædam
Vocum ſtructura, à communi lege recedens:
Cuius formam aliquam dabit hæc deſcriptio parua.

Proſthеſis, quæ & epexegeſis.

Appoſitio.

Proſthеſis apponit caſu duo fixa in eodem.

Si signent ea idem, diuersum non referantq;.
Hor. Et genus, & formam regina pecunia donat.
Vir. Formosum pastor Corydon ardebat Alexin
Idem. Delicias domini; nec quid speraret habebat.

Synthesis compositio.

Synthesis est sermo sensu, non voce cohærens.
Vir. Hæc manus ob patriam pugnando vulnera passi.
Ovid. Quo ruitis? vestras quisq; redite domos.

Evocatio.

Tam prima euocat ad se, quàm persona secunda
Tertiam; vt ambæ sint primæ, sint siue secundæ.
Virg. Cui pater, & coniux quondam tua dicta relinquor.
Ovid. Quo tandem infœlix fœmina, virq; ruis?

Syllepsis, conceptio.

Syllepsis conceptio personæ est, generisq;,
Qua tutò ad dignum referas indignius omne.
His ego, tuq; locis inter consedimus vmbras.
Tu claras, fraterq; tuus cognoscitis artes.
Calybs, & aurum sunt in fornace probati.
Ovid. Mulciberis capti Marsq; Venusq; dolis.

Asyntheton, incompositum.

Nulla asyntheton est rerum, aut coniunctio vocum.

Virg.

Virg. Ferte citi flammam, date vela, impellite remos.
Idem. Balnea, Bacchus, amor, iuvenilia corpora firmant:
Corpora debilitant, balnea, Bacchus, amor.

Polysyntheton, multipliciter coniunctum.

At polysyntheton est coniunctio plurima vocum.
Ovid. Terra viros, urbesq; gerit, syluasq;, ferasq;,
Fluminaq;, & nymphas, & cætera numina ruris.
Qui cœlum, & terras, hominesq;, ferasq; creauit.

Amphibologia, ambigua oratio.

Vocum structura ambigua est amphibologia.
Virg. Nec curare deûm credis mortalia quenquam?
Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Anastrophe, inuersio.

Ipsa Anastrophe erit vocum præposterus ordo.
Virg. Queis sine, nec potuere seri, nec surgere messes.
Haud aliter terras inter, cœlumq; volabat.

Hysteron proteron, posterius prius.

Hysteron est proteron rerum præpostera sedes.
Virg. Et tonere parant flammis, & frangere saxo.

Parenthesis,

Parenthesis, interpositio.

Interiecta parenthesis est sententia quæuis.
Virg. Tityræ dum redeo (breuis est via) pasce capellas.

Perissologia, sermo superfluus.

Sermo perissologia superfluus omnis habetur.
Qua potuere ibant, sed non qua non potuerunt.

Pleonasmos, redundantia.

Voce supervacua pleonasmos cernitur esse.
Hæc quæ oculis vidit, non raro est ore loquutus.

Soloicismos, imperitia.

Sermo soloicismos dispar, nec voce cohærens:
Dicitur & vulgò sibi sermo incongruus omnis.
Sunt gladius magnos qua pugnat belligerantes.

Id est.

Sunt gladij magni quèis pugnant belligerantes.

DE

DE PROSODIA.

IPSA Prosodia, quæ recta est modulatio vocum,
Dulcisonam nobis ostendit carminis artem:
Spiritus hûc, tonus hûc, hûc spectant tempora vocũ.

De spiritu.

Spiritus aut spiret, tenui aut sonitu referatur.
Nam sit vel densus, tenuis vel, spiritus omnis:
Spirabit densus; tenuis tenuè atq; sonabit.
Charus honos gravis est homini, qui spernit honorem.
Æquè onus, ac amor est in cunctis vndiq; rebus.

De tono aut accentu.

Aut tollit vocem tonus, aut premit, aut moderatur:
Tollit acutus: deprimit & grauis: at moderatur
Circumflexus: & istis syllaba quæq; notetur.

Accentus in monosyllabis.

Quamq; brevem, posituq; acuit monosyllaba longam.

Omnem naturâ longam monoſyllaba flectit.
Mél, párs, nix acuunt: ſôl, thûs, ſpês flectere norunt.

Accentus in diſſyllabis.

Longam, ſi brevis inſequitur, diſſyllaba flectit.
Aſt alias acuit diſſyllaba dictio cunctas.
Præceps ira móra víres vult tollere dúras.

Accentus in polyſyllabis.

Si penultima ſit breuis, ante eſt penacuenda.
Mart. Bárbara Pyrámidum, ſileat mirácula mémphis.
Vt longa ante breuem quæuis penultima flexa eſt:
Sic longa ante aliam longam penultima acuta eſt.
Ovid. Multi illum iuvenes, multæ cupiêre puellæ.
Cónſtitit in ſummi nemoróſo colle paláti.

Benefit malefit vlt. benefacit malefacit penult. accunt.

Cui nec circumflexus, nec ſit acutus inhærens,
Eſt grauis accentus: quos non ſcripſêre latini.

Exceptiones.

Quod diſcernit; quodq; rogat; quod trans quoq; ponit;
Attrahit; aut conſcindit; ritè tonum omnia mutant.

Quod

Quod discernit. Differentia.

Virg. Antè leues ergo pascentur in æthere cerui,
Idem. Quàm nostro illius labatur pectore vultus.
Idem. O mihi tam longè maneat pars vltima vitæ.

Quod rogat. Interrogatio.

Virg. Quid faciám? rogér? anne rogém? quid deinde ro-(gabo?

Quod transponit. Transpositio.

Virg. Inter spem, curámq;, timorés inter, & iras.

Quod attrahit. Attractio.

Ovid. Terráſq; tractúſq; maris, cœlúmq; profundum;

Quod conscindit. Conscisio.

Censén' verbum me tunc potuisse loqui?
Sic idioma tonum variat, linguâ variata.

Submonitio.

Noscitur accentu solùm pénultima quanta est.
Virg. Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.

De tempore.

Tempus mensura est cuiusuis syllabæ: vt illa
Tempore longo longa, breuiq; breuis sit habenda.
Temporis vnius est breuis, est quoq; longa duorum.
Quùm tempus verè mensuret syllaba quanta est:
Quanta equidem fuerit, dicendum est ordine nobis.

De quantitate syllabarum.

Cùm generalis, tum specialis regula detur.
Est generalis quâ monstratur syllaba prima;
Ac media, vltima item fusè discrimine nullo.
Et specialis erit, quæ primas, tumq; secundas,
Inde & postremas monstrauerit ordine certo.

Generales regulæ.

Octo ritè modis noscetur syllaba metris:
Seu positu: seu dipthongo: seu præpositura;
Vocali ante aliam: deductu: composituvè:
Norma: atq; exemplo: breuiter quæ singula dicam.

Positio.

Versiculis positu quæuis est syllaba longa,
Si post vocalem duæ erunt; si consona duplex.
Consona, præter vocales, est litera quæuis.
X, *Z*, inter & *I* vocales, consona duplex.

Virg. Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Virg. Arma virûm, tabulæq́; , & Troia gaza per vndas,
Maioreſq́; cadunt altis de montibus vmbræ.

I ſimul *V* iunctæ vocali, conſonæ habentur,
Vt Ianus, Iuno, vinum, vacinia, vellus.

Dictio præcedens poſitu quandoq́; potitur;
Conſona ſi non ſint prima, ſed voce ſecunda.
Virg. Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos,

Liquidæ l. r. m. n.

L tamen, *r* quæ ſimul, poſt mutam ſorte ſequentes
Vocalem efficiunt communem, ſi breuis eſſet.
Vt Ciclades Doriclus; vel Ciclades, atq; Doriclus.
Vir Natum ante ora patris, patrẽ qui obtruncat ad aras.
M ſimul *N* liquidæ Græcis in vocibus inſunt.
V poſt *g* ſeu *q.* vocali nempe ſequente
Vim perdit; iam *lingua* docet, iam pandit *inique*,
Euaneſcit item dicendo, *ſueſcoue* ſuetus.

Dipthongus.

Dipthongus græcè producitur, atq; latinè.
Hor. Quod mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
AE breuis attamen eſt, vocali nempe ſequente.
Vnde præire, præeſſe, præeſt, præit, atq; præuſtus.

De præpositione.

Compositæ de,se,præ,di quoq; præpositure
Sunt producendæ; præter dirimo atq; disertus.
Virg. Delegit paciſq; bonas, belliq; miniſtras.
Idem. Dimittam, & Libyæ luſtrare extrema iubebo.

A ſimul E longa eſt vocali non ſubeunte.
Virg. Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt.
Idem. Si quibus eiectus ſyluis, aut vrbibus errat.

Corripiuntur ad, ab, per, in, ob, ſub, præpoſitiuæ.
Virg. Obſtabunt montes; campos nec adire licebit.
Sic effata ſinum lachrymis impleuit obortis.
Ovid. In quorum ſubiêre locum fraudeſq; dolíq;.

Eſt RE breue: at refert à R E S producere debes.
Virg. Nate dea, quò fata trahunt, retrahuntq; ſequamur.

Eſt *pro*, breue in græcis; *pro*, longum rite latinis.
Producit reduco quidem, breuitatq; reduco.
Virg. Procedo ad Priami ſedes, arcemq; reuiſo.

A prope, ſiue procul compoſita at corripe cuncta.
Vt pronepos, propero, proficiſcor, ſiue procella.

De vocali antè aliam.

Vocalis breuis ante aliam manet vſq; latinis.
Ovid. Obſtupui, capiatq; animus moderamina dixi.

Exceptio prima.

Duc ſine R *fio*: cum R non ducito verbum.

Ovid.

Ovid. Omnia nam fient; fieri quæ posse negabam.

Exceptio secunda.

Producunt dîus, chîus, producit & âer.

Exceptio tertia.

Inter duplex I ducunt E nomina quintæ.
Præterit his equidem dapibus pars multa diei.

Exceptio quarta.

Nunc breue, nunc longum, pone I VS per genitivum.
Hor. Arcanum neq; tu scrutaberis vllius vnquam.
Oll. Istius regni boreali in parte morantes.
Alterius breue sit, soliûs longum, & aliûs.
Ovid. Muneris alterius quæ sit fortuna requiris.

Exceptio quinta.

Ai si ex AE sit, producit rite priorem,
Aulai pro aulæ: pictai pro quoq; pictæ.
Virg. Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Observatio.

Græca quidem producta leges; correptaq; multa.
Aonides, Clio monstrant; & Iulus, Iola.

De derivatione.

Vt primaria sunt, sua sic deducta leguntur.

Virg. Viuo equidem, vitamq; extrema per omnia ducoq;

Obseruatio.

A breuibus deducta tamen producito quædam;
Et quædam à longis correpta reponere debes.

De compositione.

Simplicis obseruat naturam compositivum:
Ni ratio bona sit naturam quâ variemus.
Virg. Et sale tabentes artus in litore ponunt.
Idem. Instruimus mensas, arisq; reponimus ignem.
Si ex binis vocem compones partibus vnam,
Pars prior est breuis, I vel O si sit parte priori.
Virg. Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est.
Threiciamq; Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Noscitur accentu dissyllaba dictio quanta est;
Si componatur, trissyllaba facta sietq;.
Monstrant præpono, prædico, prælego verba.

Norma.

Præteritum ducit dissyllabon anteriorem.
Virg. Promisi victorem, & verbis odia aspera moui.
Corripiunt tamen inferius memorata priorem.
Vt fidit, & dedit, ac tulit, atq; steterit q;, bibitq;.
Fundit scindo scidi; vult scido fundere scidi.
Præteritum geminans ipsam rapiet geminatam.
Ovid. Nulli illum iuvenes, nullæ tetigere puellæ.
Quæ dissyllaba nec sunt; nec geminantia primam,

Naturam præsentis habent: frico ceu fricui vult.
Correptis tamen his genui, posui, potuiq́;,
A gigno, nec non pono, possum quoq; longis.

De supino.

Producunt primam dissyllaba cuncta supina.
Vt lusum, visum. Tolluntur itumq́;, quitmuq́;,
A cieoq́; citum, atq; ratumq́;, datumq́;, statumq́;.

Est cuiusq́; supini in tum, penultima longa,
Si ex vi præterito, verè descenderit illud.
Audiui auditum: monstrabit amaui & amatum.
Cætera præteriti naturam penè sequuntur.

De incrementis verborum.

A crescens poteris tutò producere verbis.
Virg. Durate, & vosmet rebus seruate secundis.
Idem. An dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Exceptio.

Corripe primo A crescens in DARE, corripe natis.
Virg. Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
Idem. Taurino quantum possent circundare tergo.

E incrementum.

E longum teneas, verbo si creuerit vllo.
Virg. Daemonis musam dicemus, & Alphesibœi.

Idem.

Idem. Quamuis Elysios miretur Græcia campos.

Exceptio prima.

Semper E correptum præ ram, rim, ro, reperitur.
Virg. Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.
Idem. Extulerit Titan; radijsq; retexerit orbem.

Exceptio secunda.

Corripiet BERIS, & BERE, nota secunda futuri.
Ovid. Haud tamen effugies: medio iugulaberis ense.
Virg. Hoc tutè infœlix miseram solabere mortem.

Exceptio tertia.

E præsens ternæ; atq; imperfectum rape primo
Optativi, subiunctivi, sive potentis.
Hor. Scribere te nobis, tibi nos & credere par est.
Idem. Viuerem vti contentus eo, quod mî ipse paraui.

I incrementum.

Quouis verborum cremento I corripietur.
Virg. Intuimus densis, & circumfundimur armis.
Idem. Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis.

Exceptio prima.

I primo quartæ semper producito verbis.
Virg. Audite ô proceres ait; & spes discite vestras.

Quid

Quid fugiendũ, quidq; ſequendũ, audiuimus omnes.

Exceptio ſecunda.

Corripe præteritis IMVS, omnibus vndiq; verbis.
Virg. Condidimus terra, mœſtaſq; ſacrauimus aras.
Idem. Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.

Exceptio tertia.

In cunctis debet ſemper producier IVI.
Virg. Læuam cuncta cohors remis ventiſq; petiuit.

Exceptio quarta.

In ſubiunctiuo rimuſq;, ritiſq; licenter.
Ouid. Hæc vbi dixeritis, ſeruet ſua dona rogate.
Ennius. Non aurum poſco, nec mî pretium dederitis.

O, incrementum.

O verbis creſcens, creſcendo creſcit acutè.
Carminis hunc iuvenes totum legitote libellum.

V breuis in verbis: longa eſt verbo tamen ortis.
Virg. Dicite Pierides; non omnia poſſumus omnes.
Idem. Flebat, & ardentem genetrum moritura tenebat.

De nominum incrementis.

Incrementum primæ declinationis.

Nominibus primæ crementum non erit vllum,

Præter

Præter A, quod longum eſt pluraliter in genitivo.
Hor. Nunc athletarum ſtudijs, nunc arſit equorum.

Incrementum ſecundæ.

Corripiunt obliquos nomina cuncta ſecundæ:
His ſi pluralem tantùm demas genitivum.
Virg. Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Idem. Olli ſubridens hominum ſator, atq; deorum.
Celtiber obliquos, & Iber producere gaudent.
Mar. Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos.

Incrementum tertiæ.

Nomen in A ternæ creſcit breuiter genitiuis.
Hor. Scribimus indocti, doctiq; poemata paſſim.

Nomen in O rapit obliquos, qui dant inis, omnes.
Virg. Turbine corripuit, ſcopuloq; infixit acuto.
Hor. Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Rectus in O producier ONIS vult ſimul ENIS.
Ovid. Hoſtibus, aut auido dabitur fera præda draconi.

At gentilia quædam corripiunt ONIS ex O.
Virg. Nais amat Thyrſin, Glauce Almona; Niſa Theonē.

Nominis in C, D, penultima creſcit acutè.
Mart. Halecem, ſed quam protinus illa voret.
Iuven. Edidit hic Mariam Dauidis origine Ioſeph.

In L.

Maſculum in AL dat alis; neutrum formatur in alis.

Virg.

Virg. Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ſecabant.
Idem. Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat.

EL, producit, & OLLL corripit, VL breuiabit
Illam; quæ obliquis penultima ſyllaba fiet.
Verba fluunt vitæ viuo Danielis ab ore.
Virg. Hic canit errantem lunam, ſolitóq; labores.
Idem. Cæduntur vigiles portiſq; patentibus omnes.
Idem. Exulibuſnè datur ducenda Latinia Teucris?

In N.

N communiter obliquos producere gaudet.
Virg. Mecum vnà in ſyluis imitabere Pana canendo.

Nomina in ON grauiter creſcunt; creſcunt & acutè.
Ouid. Nēpè tenens quod amo, gremioq; in Iaſonis hærēs.
Vir. Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

En inis accreſcens creſcentem corripit omnem.
Virg. Conſtitit, & Libyæ defixit lumina regnis.

In R.

Aris ab AR neutris ritè eſt penultima longa.
Virg. Incenſi pendent lychni laquearibus aureis.
Nectaris, & iubaris, nectar, iubar attamen edunt.
Virg. Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.
Maſcula in AR rapiunt aris: at nar tollito naris.
Hor. Cæſaris Auguſti non reſponſura lacertis.
Virg. Errantes hederas paſſim cum bacchare tellus.
Er rapit, yrq; ſimul caſum, qui creuerit, omnem.

Virg.

Virg. Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat.
Constantes ornat martyres ille suos.

Ver, racimer, biser, ser, iber penultima longa,
Quùm obliquis crescant. Vt sunt veris, racimeris.
Ter græcum obliquos ducit: rapit ætheris æther.
Virg. Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Nomen in OR ritè obliquum producit in oris.
Hor. Oderunt peccare boni, virtutis amore.
Virg. Spemq; dedit dubiæ menti, soluitq; pudorem.

Arboris, & memoris semper rapiunt oris ex or.
Virg. Arboribusq;, satisq;, lues, & lætifer annus.

Neutris, &, græcis, oris ex or corripietur.
Virg. Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis.
Híc simul inuictus magni iacet Hectoris vltor.

Syllaba nata ex VR casu rapietur in omni.
Virg. Illi indignantes magno cum murmure montis.

As.

Nomen in AS ternæ obliquis creat atis acutè.
Virg. Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?

Corripe anas, anatis; vasis vas, atq; vadis sit.
As adis effundens græcè rapit, atq; latinè.
Regia quæq; domus gemmis, & lampade lucet.
Virg. Æneas diuûm monitis adit Archada regem.

Es.

Es.

Nomen in ES crescens crescit grauiter genitivo.
Virg. Hîc segetes, illîc veniunt fœlicius vuæ.
Idem. Nutrimenta dedit, rapuitq; in fomite flammam.
Penacuunt hæres, locuples, mercesq;, quiesq;.
Ovid. Quaq; viri falsam speciem mercede pararis.
Es græcum nomen sibi vult producier ætis.
Virg. Tertia dona facit geminos ex ære lebetas.

Is.

Is rapit obliquos, quoties rectos superarint.
Ovid. Deucaleon vacuum lapides iactavit in orbem.
Idem. Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt.
Glis glirem vult; & delphinem delphis habere.

Excepti.

Is trahit obliquos, si sit genitivus in iris.
Virg. Noctes atq; dies patet atri ianua ditis.

Os.

OS creat obliquos, fiet vt penultima longa.
Ovid. Fontibus ora lauet, bis flumine corpora tingat.
Idem. Si faciem, moresq; velis conferre duarum.
Obliquos tria corripiunt, *bos, compos, & impos.*
Virg. Pascite, vt antè, boves pueri; submittite tauros.

Vs.

Vs parit obliquos grauiter crescendo per omnes.
Ovid. Aut humero, aut lateri prætentat vellera læuo.
Virg. Cùm Iuno æternum seruans sub pectore vulnus.

Vs facit u longum præ dis, ris, tis, genitivis.
Ovid. Dixerat, & stygias iubet hoc audire paludes.
Virg. Defigunt telluri hastas, & scuta reclinant.
Idem. Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Hæc intercutis, & pecudis, rapiunt, liguriſq;.
Virg. Nigram hyemi pecudem, zephiris fœlicibus albã.
Oris ab us superante gradu producito semper.
Vir. Nam quid dissimulo? aut quę me ad maiora reseruo.

S. precedente consonante.

Consona si præit, S, patrij penultima curta est.
Præcipites per cuncta volant sua flumina pisces.

His Cyclops, seps, grips, conops, cercops, remouentur.
Hiſq; hydrops, seps, plebs, demas; his demito & europs.
Seps f. g. *sepimentum*: m. g. *vermis venenosus.*

T.

Put rapit obliquos crescenti syllaba in omni.
In capitis, non fortunæ discrimine verso.

X.

Nomen in X crescens obliquos protrahit eius.

Virg.

Virg. Da facilem cursum, atq; audacibus annue cœptis.

Exceptiones.

Rectus in EX præ gis vocalem corripit omnem.
Virg. Littoraq́:, & vacuos sensit sine remige portus.
LEX pariet legem; pariet sibi REX quoq; regem.

Ex rapit obliquos, faciens icis in genitivis.
Virg. Spem gregis ah silice in nudo connixa reliquit.
Hor. Fautor vtroq; tuum laudabit pollice ludum.

Nunc rapit IX, nunc ducit icis per nomina multa.
Virg. Et fugit ad salices; & se cupit antè videri.
Hor. Solos fælices viuentes clamat in vrbe.

VX rapit, & producit ucis tibi multa legenti.
Hor. Non hominem occides, ne pasces in cruce corvos.
Ovid. Quod teneat lucis, teneat confinia noctis.

X facit obliquos alijs paucis quoq; raptos.
Virg. Coniugis indigno Nisæ deceptus amore.
Ardenter cupit Æneas, peteret sy gis vndas.

Incrementum quartæ.

I simul V quartæ crementis compientur.
Virg. Fluctibus in medijs, & tempestatibus vrbis.
Ovid. Pars verubus stridet, manant penetralia tabo.

Incrementum quintæ.

Nominibus nostris breuis est penultima quintæ,

Ni inter duplex I ſiet E; quæ longa tenetur.
Cuiuſcunq; rei naturam ſcire laboro.
Omnimodæ curat ſpeciei inducere formam.

In quinta pluraliter E producta legetur.
Virg. His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Gramina concreſcunt, creſcentibus hiſce diebus.

De Exemplo.

Exemplo vtemur, ratio cùm deficit vlla.
Inde SILER breuio, ſectans exempla maronis.

Syſtole, correptio.

Corripit, vt STETERVNT, ducendam ſyſtola vocē.
Virg. Connubio iungam ſtabili, propriamq; dicabo.

Diaſtole productio.

Producit vocem ipſa diaſtola corripiendam.
Coniecto ſternit iaculo, volat Itala cornus.

Cæſura.

Et Cæſura breuem, ſed fine, extendit: vt hæc ſunt.
Virg. Pectoribus inhians, ſpirantia conſulit exta.
Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.
Oſtentans artem pariter, arcumq; ſonantem.
Ille latus niueum molli fulua hyacyntho.

Synareſis

Synæresis contractio.

Syllaba de binis est facta Synæresis vna.
Virg. Tityre pascentes de flumine rejice capellas.

Diæresis divisio.

Dicitur in binas partire diæresis vnam.
Virg. Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Eclipsis elisio. Synalæpha.

Eclipsis necat M: vocalem aufert synalæpha.
Virg. Multum ille & terris fuerat iactatus, & alto.

Id tamen haud possunt semper seruare poetæ.
Virg. Stant & Iuniperi, & castaneæ hirsutæ.
Idem. Insignita forent tum millia militum octo.

S cum vocali sibi iuncta aliquando mouetur.
Inter se coijsse viros, & decernere ferro.
Virg. Aut avium fœtus, aut vrentes culta capellas.

Heu, O, non perimes: at O interdum breuiabis.
Hor. O & præsidium, & dulce decus meum.
Virg. Te Corydon O Alexi: trahit sua quenq; voluptas.

Vocalem perimunt plerumq; in nomine eodem. (orsũ.
Proin, deest, semianimis, prout, deorsũ, prehendere, se-

Annotatio.

Communem retinent primam, mediamq; notanda.

Communem retinet mediam ablativus EODEM.
Sic etiam dices in EADEM posse notari.
Vnâ eademq́; viâ, sanguisq́;, animusq́; sequuntur.

Regulæ speciales.

Regulas speciales, quæ ad primas peculiariter, & medias spectant syllabas, hic penitus omissimus, ne nimium accrescere videatur tractatio. Istæ autem syllabæ, seu primæ, seu secundæ cognitu sunt faciles; partim ex regulis præcedentibus, partim ab exemplo, seu authoritate, & studiosa optimorum poetarum lectione; partim etiam à regulis fusè descriptis ex studiosissimo Rodolpho Gualtero Tigurino; ex doctissimo Pantaleone, Bartholomæo Kauerino; ex grauissimo Despauterio Niniuita; ex illo deniq́; Renato Guillonio Windoniense qui ea in re cęteris pręcelluit omnibus: quē potissimè (exceptis illustrium poetarum authoritatibus) meo iudicio consuletis omnes, qui tyrones estis eius rei studiosi. Ad vltimas igitur syllabas quæ spectant, quà possimus breuitate, perstringemus.

De vltimis syllabis.

A in fine.

A producitur, in quoties sit fine reperta.
Virg. Da propriam Tymbræe domum, da mœnia fessis.

Exceptiones.

Corripiuntur sed puta, vel quia, seu ita, voces.
Vltra, vel frustra, & ginta, communia sunto.
Casus in à breuis est; longus modò sextus in à sit.

Virg.

Virg. Bellaq; iam fama totum vulgata per orbem.
Hor. Alter rixatur de lana sæpe caprina.

Quintus in a longus græcè, si rectus in as sit.
Virg. Incipe Damœta, tu deinde sequère Menalca.

Producunt nostri recto muliebria græca.
Ovid. Mittit Hypermestra de tot modò fratribus vni.

E in fine.

E finita breuis tibi sit, qui carmina condis.
Hor. Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Ovid. Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
Virg. Qui mare, qui terras, omni ditione teneret.

Exceptiones.

Producuntur in E cum natis nomina quintæ.
Ovid. Speq;, fideq; pater, dixit, maiora videbis.
Hor. Vt libet hæc porcis hodiè comedenda relinques.

Quintus in E græcè longus, cui rectus in es sit.
Hor. Atreide magis apta tibi tua dona relinquam.

Græcula in E producta legas, modò ab n generentur.
Ouid. Non Beroe vobis, non hæc Roeteia coniux.
Nisa rosas, Glauce violas, dat lilia Nais.

Producuntur in E monosyllaba nomina quæq;:
Virg. Desine meq; tuis incendere, teq; querelis. (est ve.
Rite ne pro an breuis est: breuis est que pro &: & breuis

E primo in duperatiui est producta secundæ.

Vir. Iussa time, neu præceptis parere recusa.
Ovid. Nate caue, dum resq; sinit tua corrige vota.

At vale, siue vale: quoniam reperitur vtrumq;.
Virg. Et longum formose vale, vale inquit Iola.
Sic tepe communem, cale, vel lique ponere possum.

Longa adverbia in E dant nomina multa secundæ.
Ovid. Forma mouere potest: certè mea pectora mouit.
Longa ferè fermè. bene cum male corripientur.

Cuncta gradus summi producta aduerbia in E sunt.

I finale.

I finita, velut *studui*, producito cuncta.
Communes vbi sunt, mihi, siue tibi, sibi, ibiq;.
Hæc verò nisi, vel quasi, sunt ritu rapienda.
Quintus in Iternæ Græcorum corripietur.
Virg. Mirabar quid mæsta deos Amarylli vocares.

Ipse dativus in Iternæ græcis brevis esto.
Catull. Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorem.
Tindaridi verùm, Paridiq; Propertius inquit.

O in fines.

Quorum finis in O, rectè communia sunto.
Remq; probos; causæq; genus; sed non probo litem.

Exceptiones.

Ablativus in O producitur, atque dativus.

Ovid.

Ovid. Inq; nihil merito vetus est infamia saxo.
Idem. Affuit huic monstro proles Stheneleia cygnus.

Græcula in O produc; quorum genitivus in Vs sit.
Ovid. Non mihi sunt visæ Clio, Cliusvè sorores,
Est genitivus in O longus, si rectus in Os sit.
Æneas galeam Androgeo sese induit amplam.

Quod græcè O mega sit, facit O longumq; latinè.
Ovid. Ante oculos Io, quamvis aversus habebat.

O finita trahunt adverbia nomine nata.
Venti continuò volvunt mare gurgite vasto.

Paruò, certò, citò, sic denuò, mutuò, crebrò,
Illicò, sic verò, duo, quandò, sedulò, serò,
Atq; profectò, modò; doctus communia sunto.

V in fine.

Omnem producesvocem, quæ desinit in V.
Vir. Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

B. D. M. T.

B D corripitur, sic M, T. ni positus sit;
Vel sit diphthongus; vel syncopa facta poetis.
Ovid. Currus adest, aderat demissus ab æthere currus.
Regis ad exemplum totus componitur orbis.
Virg. Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Ovid. Me petijt, ipsa licèt hoc à Pallade quæras.

C in fine.

C producitur, in vocum si fine recurrat.
Virg. Dic ait (ô virgo) quid vult concursus ad amnem?

Sunt istæ voces donec, hac, nec, rapiendæ.
Hic bene pronomen commune est; sic quoq; verbum.

L in fine.

Sunto vocabula in L nostris correpta latinis.
Ovid. Exul agam, ne me videant capitolia regem.

Quatuor hæc sal, sol, pol, nil producta leguntur.
Barbara producunt L, quæ vel hebræa vocantur.
Est pius hic Daniel, est liber ab ore leonis.

N in fine.

N, si in vocum fine siet, producere oportet.
Odit & ipse pater Pluton, odere sorores.

Exceptiones.

Forsitan, & forsan, tamen, attamen, an breuiantur.
In cum compositis breuis est; subin, & dein, vt sunt.
Corripiunt scin', vin', viden'; & quæ syncopa castrat.

Nomen in en rapitur faciens inis in genitiuo.
Virg. Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnũ.
Ovid. Fulmen habent æres in aduncis dentibus apri.

Quartus in A N breuis est; & in I N, sic Y N, simul Onq;.

Ovid.

Ovid. Namq; ferunt raptam patrijs Æginan ab vndis.
Idem. Et fletum madidis Ibin adite genis.
Virg. Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Ovid. Surymoniæ matres Orpheon esse ratæ.

Ast & in AN, & in EN primæ; sic enq; secundæ,
On quoq; producunt græcis: quæ sæpè leguntur.
Ovid. Aenean animo nocte dieq; refert.
Idem. Respice Laerten, vt iam sua lumina condas.
Ovid. Fecit & Asterien aquila luctante teneri.
Actæon ego sum; dominum cognoscite vestrum.

R in fine.

Littera R breuis est, quoties in fine resurgit.
Virg. Prodimur, atq; Italis longe disjungimur oris.
Hor. Tam dono teneor, quam si dimittar onustus.

Produc cur, fur, lar, far, nar, par, ver, & Iberq;.
Ovid. Par amor est illis: errant in montibus vnâ.

Græcula in ER produc, cuius dat patrius eris.
Ovid. Proximus est aer illi leuitate, locoq;.
Celtiber & lyncer variant; cor dispar, & impar.

As in fine.

Omnes, quarum finis in AS, producito voces.
Virg. Quiq; nouas alitis non nullo semine fruges.
Hor. Nil parvum sapias, & adhuc sublimia cures.

Exceptiones.

Exceptiones.

Corripe græcula in AS, si dis genitivus habebit.
Ovid. Arcas adest, ter quinq; ferens natalibus annos.
Idem. Pallas anum simulat, posuitq; ad tempora canos.

As ternæ quartos plurales corripe græcis.
Ovid. In te fingebam violentos Troas ituros.
Virg. Indulgent vino: verum crateras anhelos.

Es in fine.

ES retinens finem tutò producere possis.
Vir. Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva.

Exceptiones.

Rectus in ES crescens, recto rapietur eodem.
Vir. Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Ovid. Vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus.
Deme, seres, paries, aries, spes, pes, abies, res.
Est paries huiusce domus ex marmore structus.

Es neutrum quintæ græcorum corripietur.
Hor. Scribendi cacoethes, & ægro in corde senescit

Plurales casus græcis ES corripe semper.
Vir. Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.

Es verbum breve sit: penes, inquies & breviantur.
Ovid. Hostis es Aenea; maneo, fuge littora Circes.

Is

Is finale.

Finis in IS rapitur seu græcè, sive latinè.
Ovid. Quem nisi crudelem non tangat Iasonis ætas.
Idem. Componi tumulo non invideatis eodem.

Exceptiones.

Ablativus in IS producitur, atque dativus.
Vir. Spargite humum foliis, inducite fontibus vmbras.
Idem. Præsentemq; viris intentant omnia mortem.

Eis produc casu cùm græco, tumq; latino.
Hor. Adducit febreis, & testamenta resignat.
Rectus in IS longus, patrio si crescat acutè.
Samnis & Simois, vt, Samnitis Simoentis.

Producta est monosyllaba in IS communiter omnis.
Vis vt amem? quod non animus desiderat vnquam?
Corripies tamen, is, bis, quis, cis, mis, simul & bis.

Is verbi quartæ, velut *audis*, vltima longa.
Nescis vel dormis, communia dicimus esse.
Protrahit IS, quoties itis plurale reponit.
Vir. Vtramq; vt possis æris cognoscere portam.

Os finale.

OS produc: rapiunt sed *os* ossis, *Compos & Impos.*
Vir. Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras.
Ex Omicron brevis OS: longa OS tamen Omega reddit.

Ovid.

Ouid. Arcados hinc ſedes, & inhoſpita tecta tyranni.
Virg. Androgeos offert nobis ſocia agmina iungens.

Vs finale.

Vs breuis eſt, ſed in VS monoſyllaba longa tenetur.
Hor. Angulus iſte feret piper, & thus ociùs vuâ.
Vs longum ſemper, patrio ſi creſcat acutè.
Virg. Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat.

Vs quartæ patrio; VS quartæ producè ſecundo.
Maxima terrarum fructus eſt copia nobis.
Virg. Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Vs ex us, longum recto, patrioq; latinis.
Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphus, atq; Cythera.
Faridicæ Mantus, & Thuſci filius amnis.
Solus Ieſus eſt, qui mortem morte repreſſit.
Vltima cuiuſq; eſt communis ſyllaba verſus.

De pedibus.

Ex ſyllabis quantitate menſuratis
fiunt pedes.

Pes cuiuſuis ſyllabæ erit dimenſio certa.
Pes vel compoſitus, vel ſimplex omnis habetur.
De pede compoſito non nunc dixiſſe videmur.
Pes ſimplex diſſyllabus, aut triſſyllabus omnis.

Pedes diſſyllabi.

Spondæum faciet diſſyllaba dictio longa.

Pyrrichium

Pyrrichium breuis efficiet dissyllaba quæq;.
Ipse trochæus sit tibi syllaba longa, breuisq;.
Syllaba longa breui subiecta vocatur iambus.

Pedes trissyllabi.

Efficiet trissyllaba dictio longa molossum.
At tribrachum breuis vna facit trisyllaba quæuis.
Dactilus è longa fiet, breuibusq; duabus.
Binis è breuibus, longa simul est anapæstus.
Bacchius fiet eq; breui, longisque duabus.
Palim bacchius fit tum longisq; duabus,
Tumq; breui: qui pes anti & bacchius habetur.
Amphibrachum faciunt breuis, & longa, inde breuisq;.
Amphimachrum dant lõga, breuisq;, & longa subinde.

Ex pedibus ordine compositis *fiunt carmina.*

Est carmen iunctura pedum numeroq;, modoq;.
Cuius sex tantùm genera hîc sumus apposituri.

Hexametrum, seu Heroicon.

Hexametrum senis pedibus deducito carmen.
Dactilus est quinto: sexto spondæus inhæret.
Communes reliquis debent vtriq; reponi.
In pede sed quinto spondæus sæpè locatur.
Quintus habet pæon; quod nostris non licitum sit.
Virg. Insere Daphni piros; carpent tua poma nepotes.
Idem.

Idem. Sunt apud infernos tot millia formoſarum:
Idem. Tityre paſcentes à flumine rejice capellas.

Pentametrum, ſeu Elegiacum.

Pentametrum vult quinq; pedes: primiſq; duobus
Spondæus duplex; duplex vel dactylus; aut ſint
Alterni; poſt hos bene ſyllaba longa ſequetur:
Dactylus inde duplex; pòſt vnica ſyllaba detur.
Iuv. Mirificas domini tandem cognoſcite leges:
In quibus exercet, quos amat, ipſe deus.

Carmen aſclepiadeum, & Gliconicum.

Spondæus primo ſit; dactylus inde ſecundo;
Syllaba longa hinc ſit; duplex tum dactylus adſit:
Ex quibus omnibus eſt aſclepiadis tibi verſus.
Hor. Eſt qui nec veteris pocula maſſici,
Nec partem ſolido demere de die,
Spernit: nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Spondæus ſæpè, & duplex huic dactylus adſit.
Hor. Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu martyribus munera præparas:
Rubri nam fluido ſanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.

Sapphicum carmen, & adonicum.

Rite trochæus, tum ſpondæus, dactylus inde,
Atq; trochæus dehinc duplex, ſint ordine iuncti:

His

His etenim pedibus constabit sapphicus omnis:
Cui tamen inprimis versus comitatur Edonis:
Quem benè dactylus,& spondæus fecerit vsq;.
Hor. Audiet civeis acuisse ferrum,
Quo graues Persæ melius perirent.
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.

Phaleucium carmen.

Si facias carmen,quod composuisse Phaleucus
Dicitur: in prima spondæus sede locatur;
Dactylus insequitur, triplicem cui iunge trochæum.
Mart. Summum nec metuas diem,nec optes.

– – – v v – v – v – v

Iambicum carmen.

Fiet Iambis ex solis & iambicus omnis.
Aut alijs etiam pedibus recto ordine iunctis.
Hor. Suis & ipsa Roma viribus ruit.

v – v – v – v – v – v –

Licèt superbus ambules pecunia:
Fortuna non mutat genus.

v – v – v – v – v – v –
– – v – – – v –

Ter. Obsequium amicos, veritas odium parit.
– v v v – – – v – v v – v –

Finis Grammatices.

ERRATA.

In quibusdam codicibus est Rex Avius; pro, Rex Anius.

In quibusdam, obsint, pro obsunt.

In alijs memorare, pro memorare.

In alijs alia fortasse sunt aut punctis aut literis aut syllabis errata. Quæ seu scriptoris, seu correctoris vitio contigerunt, fuerunt tamen non ignorantiæ, sed conniventiæ, non voluntatis, sed celeritatis peccato commissa.

FINIS.